



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 60. Orani expugnatio Petro Navarro Belliduci demandata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Secul. XVI. A.C. 1509 protracta. Nec tamen propterea Cardinalis animum despondit, cumque ex Archiepiscopali Toletana Ecclesia, aliisque, quibus auctus erat, aulæ dignitatibus ingentes redditus perciperet, propriis sumptibus urbis hujus expugnationem promovere statuit, dummodo suis conatibus Regis quoque consensus accederet. Igitur ad illum hac super re literas dedit, felici prorsus successu; quippe Ferdinandus diu quidem hæsitans, atque cunctatus, tandem Ximenii votis cessit, ea tamen lege, ut si cæptis optatus abluderet eventus, omnibus, quas fecisset, expensis frustraretur, ablata tam a Rege quam ab ejus successoribus vel minimum repetendi spe.

§. LX.

Orani expugnatio Petro Navarro Belliduci demandata.

Acceptit haud ægre Ximenius conditionem, atque aliam vicissim Regi proposuit petitionem, quam itidem impetravit. Postulabat nimirum, ut si cæptis faveret fortuna, Oranum Sedi Toletanæ tamdiu beneficiario jure obstrictum permaneret, usquedum ea, quæ pro urbis expugnatione fuissent impensa, vel ipsi vel ejus Ecclesiæ compensata essent. Rege annuente Ximenius ipse Africam petere,

petere, suumque exercitum, quem instruxerat, ducere constituit, simulque a Ferdinando Consalvum hujus expeditionis Præfectum expetiit; verum a Ferdinando repulsam passus copiis quidem Petrum Navarrum præfecit, sibi metipsi tamen supremam earum auctoritatem reservavit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1509.

Marian lib.
29. n. 76.
Rayna. d. l. c.
num. 24.

§. LXI.

Exercitus ac Cardinalis Ximenii discessus.

Bellicus hujus expeditionis apparatus totam hyemem perduravit, donec tandem Anno millesimo quingentesimo nono exeunte Mense Februario Ximenius classem, quæ exercitum in Africam deferret, Malacam deduxisset, ac Carthaginem contendisset, ubi præstituta die omnes copię convenirent. Rei novitas omnium animos admiratione perculit, dum Franciscanum, quorum institutum profitebatur Ximenius, lorica indutum (*) validi exercitus Præfecturam gerere

Gomez. in
vita Xim l. 4
Raynald. l. c.
n. 23.

(*) Ita Continuator; cum tamen Gomezius, quem allegat, disertis verbis dicat: Ximenium novitate & insolentia spectaculi Ducum animos & militum perculisse, illos autem non miratos fuisse, Imperatorem suum splendenti clypeo,